



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. Solvuntur Object. à Ratione petitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Punctum Difficul-

tatis 1.

Rationes ex Goslarvio.

OBJICIT 1. Aut Filius semper gignitur, aut aliquando desistit gigni? Si semper gignitur, ergo nunquam perfectionem assequitur, quia quod adhuc generatur, id nondum generationis terminum est consecutum, & per consequens nondum est: Si autem desinit gigni, erit mutatio aliqua in Deo, à non esse ad esse transeuntis.

RESPONDETUR. Ly semper gignitur, si sumatur pro via ad terminum nondum productum, & habitum non semper gignitur; si sumatur pro æterna quiete non transacta, nec quæ dicatur præterisse, semper gignitur. Quod in eo fundatur, quia in Deo, qui est actus secundus nec inchoatio actionum immanentium, nec desinentia datur, hinc & termini productionum divinarum, qui etiam sunt actus secundi, nec inchoationem nec desinentiam patiuntur. Et sicut si concipiamus conservationem in creatis nonnisi per modum viæ, nondum intelligitur haberi terminus, secus si concipiatur per modum termini; ita cum generatio sit una cum suo termino, eoque æterno, non debet aliter concipi, quam cum illa æterna quiete.

OBJICIT 2. Idem. Si Deus gignit, & quidem ex essentia sua, vel communicat totam essentiam Filio, vel ejus partem, aut essentia Dei multiplicatur? Nihil horum trium dici potest; Non communicatur tota essentia, quia est singularis & individua; quæ autem sunt talia pluribus non conveniunt, hinc est, ut de multis non dicantur, seu prædicentur: Non communicat etiam partem, quia non est divisibilis; non etiam multiplicatur essentia, quia Deus non esset unus, sed quot essentia, tot dii.

RESPONDETUR. Totam essentiam communicari, & licet quod singulare est, pluribus non conveniat per multiplicationem; convenit tamen pluribus per identitatem, ipsa pluralitate in ratione personæ, non in ratione naturæ considerata.

OBJICIT 3. Generatio est necessaria conservandæ speciei causa; Ergo res quæ non intereunt vel interire non possunt, nec generant, nec generantur.

RESPONDETUR. Quæ generatio est ex corruptione alterius, est necessaria conservandæ speciei causa, secus quæ non est ex corruptione, sed quæ est ex fecunditate naturæ.

OBJICIT 4. Quidquid æternum est, semper est, semper fuit, ergo debet esse talis & generatio in divinis, si datur, sed quidquid generatur, semper non fuit, sed aliquando esse cœpit; quorsum enim generaretur, si fuisset antequam esset? Ergo, &c.

RESPON-

verum sunt. Ex quo loco sic formatur argumentum. Hi tres testimonium perhibentes, vel sunt unum in persona? Et sic tres non sunt vel sunt unum essentiâ, in Trinitate personarum? Et sic datur jam, quæ negatur Trinitas, vel sunt unum consensione in testimonio, quod dici non potest: Vel enim sunt unum consensione in testimonio cum æqualitate auctoritatis in testando, vel cum inæqualitate? Si cum æqualitate, ergo unaquæque ex illis personis est Deus: Si autem est illic inæqualitas auctoritatis? Ergo Scriptura immerito de illis indistinctum loquitur; arguendusque erit S. Joannes, quod non satisfecerit debito exprimendæ inæqualitatis.

Rursum sequeretur, hunc locum non accipi conformiter ad illum alium locum, qui sequitur, tres sunt qui testimonium dant spiritus, aqua, & sanguis: Quia hæc habent æqualitatem testandi. Denique si illic est inæqualitas auctoritatis in testando, & stante hoc possunt appellari unum: bene posset dici, quod Deus & diabolus, dum uterque dicit Jobum vallatum esse Dei protectione, quod hi duo unum sint, & quod Christus & Joannes dicens quod sit Filius Dei Joannis, dici poterit, hi duo unum sunt. Imò in Græco textu non dicitur de aqua, & spiritu, quod hi tres unum sint, sed & hi tres in unum sunt, *qui in æternis deo deo est.*

Quod si dicas hunc locum in Evangelio Synagoga, & Germanico non haberi, id parum refert, quia hæc sunt recentiora exemplaria, loci autem hujus meminerunt PP. antiqui Hieron. August. Idem. Quem etiam ponit expressè Erasmus Roterod. edit. Argentorat.

TERTIA AUCTORITAS est ex iis, quæ adducuntur infra de Divinitate Christi & Spiritus Sancti.

QUÆSTIO II.

De persona Filii.

Postulare quidem doctrinæ ordo, ut in primis tractemus de persona Patris; sed de illa nihil controversandum venit: De persona autem Filii non est difficultas, an sit persona; tribuunt enim illi actiones personarum, imò & Sabelliani id non negarunt, quamvis non dicerent illum distinctam personam à Patre. Sed et tota difficultas, an sit persona divina? Quod improbetur supponendum est, quod sit habens esse Divinum, quod infra probabitur; sed non distinctum naturâ; Ergo distinctum personâ. Methodo jam inchoata solvendæ sunt primum Objectiones.

DIFFICULTAS I.

Solvuntur Objectiones à ratione petita.

Non paucas jam solvimus supra agendo de Trinitate in communi, restant aliz.

RESPONDETUR. Negando subsumpti Antecedens, nec tum generabitur, quando supponitur fuisse, sed generabitur ab aeterno ut sit ab aeterno, eratque ab aeterno; quia ab aeterno generatum est. Retorqueri idem argumentum potest interrogando, quomodo aliqua creatura siue per possibile, siue per impossibile possit produci ab aeterno? Quomodoque produceretur sine hoc, quod fuisset, antequam esset?

OBJICIT 5. Quidquid generatur est posterius eo, à quo & ex quo generatur, ut etiam causa efficiens, est prior effectu.

RESPONDETUR. Verum esse antecedens de generatione temporanea. Vel ad maximum id verum esse de prioritate Originis, non durationis.

OBJICIT 6. Quidquid generatur est corruptibile: Pendent enim ab externo principio, & ex arbitrio causae efficientis.

RESPONDETUR. Negando antecedens cum sua probatione.

OBJICIT 7. Si Deus Filium generat, & Filius est ex essentia ejus genitus, & Deus potuit gignere, & Filius gigni: quia omnis actus potentiam praesupponit, ut docet Philos: Ergo ulterius Deus non potuit gignere, & Filius non potuit gigni ex Arist. 9. Met. c. 8. cò quòd contradictionis, sit eadem potentia.

RESPONDETUR. Negando sequelam cum sua probatione, quae fallit etiam in creatis, de iis, quae necessaria sunt. Et ita, duae albedines fundare possunt relationem, nunquidne possunt non fundare cum sunt? Verum ergo illud enuntiatum Arist. est de causis & principiis liberis. Immeritò etiam in Divinis, supponit, secundum Latinam phrasin, nomen causae.

Adferenda sunt hic etiam Objectiones Incarnationem concernentes.

OBJICIT 1. Idem. Deus verus invocatur per mediatorem, Filius non invocatur per mediatorem, idemque dicendum de Spiritu S. ergo non est verus Deus.

RESPONDETUR. Negando minorem, quae etiam supra Crellio negata est.

INSTAT idem. Pars laedens & laesa non potest esse mediatrix, Christus quia Deus, est pars laesa, quia homo est laedens. Ergo, &c. Quod idem fiscaliter proponi potest, vel cessit sua offensio secunda Trinitatis persona, vel non? Si cessit, ergo non potest dici pars laesa; si non cessit, quomodo manente offensione adhuc erat mediator? Et deinde si Patris & Filii, & Spiritus Sancti eadem est voluntas, quomodo Filius Patrem & Spiritum S. placat generi humano? An eadem voluntas potest simul velle & non velle.

RESPONDETUR. Negando Christum quia hominem individuum, esse partem laedentem, quia in eo nulla macula. Rursus pars laesa, non

potest esse quidem principium elicitivum actionum mediandi; potest tamen esse principium dignificativum & terminativum principii elicitivi.

Illud autem quod infert; Ergo erit pars simul laesa & non laesa, id diverso respectu verum est. Deinde ante praeviam dignificationem illarum actionum non cessit offensio jure, secunda persona; sed fuit pars laesa; post illarum tamen praevisionem non fuit pars laesa, sicut nec fuerunt aliae personae. Denique male supponitur, quòd hac voluntate, quae est communis toti Trinitati placetur Filius, sed elicitivè placat voluntas humana, dignificativè & terminativè persona divina.

OBJICIT 2. Crellius. Si secunda persona est incarnata, sequitur etiam tres reliquas personas assumpsisse humanam naturam: Etenim is assumpsit naturam humanam, cujus propria natura seu substantia eam assumpsit, cumque ea est personaliter unita; Ergo si Christi D. natura assumpsit humanam naturam, etiam Patris & Spiritus S. natura eandem assumpsit.

RESPONDETUR. Negare nos quòd natura divina assumpsit humanam, cum assumere sit personae, quae est distincta realiter ab aliis, consequenter potens terminare naturam humanam, non terminantibus aliis. Imò docemus, non potuisse assumi à divina natura humanam naturam; quia assumptio notat unionem substantialem; unio autem substantialis, supponit completivum & complebile substantiale; jam autem divina natura respectu humanae, non habet rationem completivae; ut docetur in materia de Incarnatione: Quomodo autem mediata sit illi unita natura? non est materia controversa, sed scholastica; de qua alibi. Quando autem idem objicit Sabellianismum, fallitur; nam dicimus, illas personas distingui inter se, non nominibus solis, sed essentialiter; Cujus contradictoriam docuit Sabellius.

INSTAT I. ea, quae partes habent, bene uniri possunt secundum unum & non uniri secundum aliud. In rebus autem incorporeis nulli sunt termini. Unde si natura humana unita fuit Divinae, est unita toti, & quia una subsistentia non magis ab essentia differt, quam alia, non magis erit uni subsistentiae unita natura humana quam alteri.

RESPONDETUR. Inprimis, non esse naturam humanam unionem, de qua hic, unitam naturae divinae, sed personae; licet mediata sit unita. Quid autem sit mediata uniri? Docetur in materia de Incarnatione: Ex eo autem quòd unita sit natura humana immediatè personae VERBI, non sequitur, illam esse unitam immediatè personae Patris; quia quamvis aequaliter omnes identificentur naturae; quia tamen inter se distinguuntur realiter, hinc potest immediatè uniri una, non unita alia.

INSTAT

INSTAT 2. Adhuc potius deberet illa natura humana subsistentiâ Patris subsistere, quam subsistentiâ Filii, utpote quæ in natura divina prima est. Et sicut corpus primario unitur animæ, & secundario modis ejusdem; ita primario uniti deberet personæ Patris.

RESPONDETUR. Si unio per impossibile substantialis, intercederet inter naturam divinam, & humanam, ita deberet fieri; sed hæc unio non est facta in natura.

INSTAT 3. Totâ essentiâ Trinitatis incarnata debet tota Trinitas incarnari, & cum subsistentiâ illâ extra essentiam non existant, necesse est etiam illas subsistentias esse incarnatas.

RESPONDETUR. Jam est. Naturam non esse incarnatam: & quia ex unitate in natura arguitur incarnatas reliquas personas, id non convincit; quia ob distinctionem realem personarum, potest una terminare naturam humanam, non alia.

OBJICIT 3. Si secunda persona est incarnata, sequitur, alteram divinitatis personam deesse; nam evaluit pars Christi, ex humana & divina natura constituti; est autem de essentia personæ, ne sit pars alterius. Quod autem illa persona evaluit tunc pars; probatur: Quia natura humana est tunc pars; Ergo etiam pars est, divina natura suam subsistentiam habens, hoc est, personam divinam, quæ humanitatem assumptit.

RESPONDETUR. Inprimis, argumento non probari intentum, quia quamvis natura divina haberet rationem partis, nondum sequeretur, quod ipsa persona, quæ naturam humanam assumptit, haberet rationem partis, utpote ab illa virtualiter distincta.

Sed neque sequitur etiam naturam divinam habere rationem partis; quia ea quæ requiruntur ad conditionem partis ei non competunt, ut docetur in materia de subsistentia; sed tantum habet rationem alterius extremi, licet extremum aliud, ex suis prædicatis possit appellari, & sit etiam pars.

OBJICIT 4. Unum idemque subjectum disparata esse non possunt, nec disparata de uno eodemque dici possunt in Quid. Deus & homo disparata sint. Ergo &c.

RESPONDETUR. Unum idemque subjectum, disparata non potest esse per identitatem disparatorum, vel si sint disparata non tantum in ratione entis, sed simul etiam se non habent tanquam completivum & complebile Concedo. Unum idemque subjectum disparata esse non potest per unionem, si unum extremorum sit complebile, & aliud completivum Nego. Et hoc secundum est in nostro casu; nam natura humana disparata in ratione entis, habet rationem complebilis per personalitatem divinam. Quando autem censet, quod homo & Deus ita secum differant, sicut homo & non homo, id immerito dicitur; quia inter hominem

& Deum non est oppositio contradictoria; secus inter hominem & non hominem: Aut ad maximum talis est oppositio in ratione entis inter Deum & hominem; sicut inter hominem & non hominem; sed non est talis in ratione complebilis & completivi.

Quare autem bene prædicari possit, Homo est Deus, id inter alia rejici debet, quia ly homo non supponit pro sola natura, sed pro natura personata personâ Verbi; de persona autem Verbi in Quid potest prædicari Deus. Hæc autem propositio natura humana est Deus, simpliciter est falsa; sed hoc sensu vera, natura humana est terminata personâ divina, quæ prædicatio spectat potius ad prædicationem quasi differentiarum. Quando autem probat ex eo in Christo fore duas personas; quia persona est substantia prima intelligens, hæc definitio jam est supra negata.

OBJICIT 5. Illa ipsa natura humana in se præcisè spectata, est homo, ergo persona: Si enim non esset homo, liceret ita argumentari; Filius ille hominis non est persona. Filius Dei est Filius ille hominis. Ergo Filius Dei non est persona.

RESPONDETUR. Negando assumptum. Probatio non convincit: Quia Filius ille hominis præcisè secundum naturam humanam non est persona Concedo, sumptus cum sua personalitate, quam habet à Verbo, Nego.

INSTAT 1. Illi naturæ humanæ, competit definitio hominis.

RESPONDETUR. Ut illi competat definitio in concreto, habetur id à personalitate, ut competat in abstracto, competit illi de se. Quando autem urget inexplicabile esse, quid sit illa animalitas rationalis in abstracto? Non est enim natura universalis abstracta: Quia hæc nihil ad præsens facit; non etiam est forma hominis, sed aliquid formæ præditum. Non etiam est pars essentiae humanæ; quid ergo erit? Quando inquam, id urget, non convincit; quia animalitas rationalis est complebile complemento personali, ut docetur, in materia de subsistentia, licet illud complebile sit in entitate individuum.

INSTAT 2. Existencia singularia non solent vocari abstracta; talis autem est illa natura humana.

RESPONDETUR. De facto illam naturam, esse unitam personalitati divinæ, adeoque abstracta non est. Casu autem quo spoliaretur persona divina, an hoc ipso redderetur subsistens? Est quaestio Philosophica, non Theologica controversa; in omnium tamen principiis non vocaretur illa natura abstracta, sed potius existens sine personalitate; sicut anima rationalis post separationem non dicitur quid abstractum: Hoc enim importat nostras intentiones secundas.

B b

INSTAT

R. P.
MŁOD
NOWSKI
m. de Z.

VI

INSTAT 3. Subsistentia quâ caret natura humana, vel ad naturam hominis constituendam pertinet, vel non? Si non pertinet, ergo sine illa natura humana dicitur homo: Si pertinet, ergo natura humana non erit integra.

RESPONDETUR. Pertinere illam per modum termini personantis, non aliâ pertinentiâ. Unde caret illa natura sua integritate termini, non naturæ. Actiones etiam illa natura exercet, quæ sunt suppositorum, sed exercet terminata personalitate Verbi; ita ut illæ actiones exerceantur elicitive à natura humana, terminativè & supposititaliter ab homine, in ratione hominis personati, constituto, per personalitatem Verbi: Beneque potest in hoc sensu dici; Humanam naturam per se non subsistere, quia habet rationem partis, nec per se stantiam habet sibi debitam, sed est in Verbo tanquam in supposito. Quare autem non evadat persona ipsa habens rationem partis? Alibi dictum.

Quando autem ex eo, quod natura humana maneat tota, infert, non posse habere rationem partis, id in materia de subsistentia refutatum est: Nam gutta est tota, & nihil illius entitatis perit post unionem cum altera gutta, & tamen post unionem habet rationem partis. Ad quid autem fuerit necessaria illa unio? non est explicare hujus loci, spectat ad materiam scholasticam. Breviter dico necessariam fuisse ex suppositione ponendæ dignificationis Dei per Theandricas actiones Dei, & ex suppositione, quod vellet sibi Deus ad æqualitatem satisfieri pro mortali offensâ.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones Crellii & Eumenianorum.

OBJICIT 1. Quia si Christus esset summus ille Deus, & tamen Filius, id ex eo esset, quia esset ex essentia Patris genitus; quod ipsum est impossibile; quia sequitur, Filium esse suiipsius Filium; etenim ex cujus essentia quispiam generatur, cujus est & Filius, sed Filius ex suiipsius essentia generatur, quæ est illi communis cum Patre. Ergo, &c. Quod ipsum argumentum sic aliter proponit. Nemo ex se generatur; esset enim antequam esset; esset, quia esset causa suæ generationis; non esset? Quia generaretur. Deinde relata sunt generans & genitum, non possunt autem relata eidem, respectu eodem, eodemque tempore inesse, sunt enim opposita; oppositorum autem natura est, ut se invicem perimant, dicto modo.

RESPONDETUR. Docemus nos Catholicos, essentiam non generare; sed quod Pater generet; Si ergo essentia non generat, qui est Fi-

lius essentia Verbum adeoque suiipsius? Hoc autem quod dicimus produci à Patre ex sua essentia Filium, triplicem ferme sensum habere potest.

IMPRIMIS ne dicatur creatura esse Filius, eo quod sit productus sine concursu materiæ, seu ex nihilo subjecti; dicitur esse genitus ex essentia, quasi (abusivissimè loquendo) ipsa essentia habeat rationem principii materialis; ex hoc autem principio non sequitur, Filium generare seipsum, quia principio materiali non tribuitur generatio.

SECUNDUS sensus est, Filius est ex essentia Patris genitus: hoc est ex essentialibus principiis habet Pater, ut generet Filium, deponente essentia triplicem personalitatem, ratione suæ capacitatis, quam habet ad terminari à tribus personis: Et ex hoc, nullo modo sequitur, Filium esse Filium suiipsius, sed tantum sequitur, Filium habere essentiam, quæ exigit terminabilitatem à sua persona, & ab aliis duabus. Et si esset Filius essentia divina, vel hoc sensu esset ex sua essentia, quia illa diceret influxum positivum, & realem producentem filiationem, tum primum inferretur intentum Crellii; Fides autem negat hunc influxum; sine autem tali influxu, qui potest dici generare? vel hoc ab illo esse genitum?

TERTIUS Sensus potest esse, quod Filius sit genitus ex essentia Patris, hoc est, habet sibi communicatam essentiam à Patre, ex quo non sequitur, Filium esse suiipsius Filium, quia cum non essentia sit principium communicationis, sed ipse Pater, fit ut non possit dici, quod sit Filius essentia. Addi posset, ex essentia divina genitum esse Filium, sed terminatâ personalitate Patris & secundum virtualitatem dictionis; quod dicere, & quod Patrem esse, non probatur quod conveniat Filio.

OBJICIT 2. Et hoc argumentum pluribus locis urget. Ex nostris principiis sequitur dari infinitudinem personarum in Divinis; quia tota ratio generandi & spirandi stat in hoc; quia Pater seipsum intelligendo generat Filium, & uterque se amando Spiritum Sanctum spirant; hoc autem probat ulterius dari processum in generatione & spiratione: Quia ex una parte quævis persona & seipsam & alias intelligit; ex alia parte diversam atque adeo distinctam esse oportet imaginem Patris, quâ Pater est, & Filii quâ Filius est, & Spiritus S. quâ Spiritus S. est; sunt enim relata; relata autem omnia sunt opposita; oppositorum autem oppositas esse oportet imagines; pro imaginum autem diversitate ac multitudine orietur dicta diversitas, procedemusque semper in his imaginibus, productionibus, adeoque in personis.

RESPONDETUR. Negando sequelam, cuius probatio ut solvatur.

ADVERTENDUM est, quod in materiis speculativis istius mysterii dicitur, Verbum procedere

tere ex cognitione omnium personarum, consequenter esse expressionem omnium personarum; ex quo principio sequitur non indigere Spiritum S. aliâ sui expressione; cum illa habeatur in secunda persona: Sed hæc expressio, quâ Verbum exprimit tertiam personam, non habet rationem imaginis respectu Spiritus S. consequenter nec dicitur Filius imago Spiritus Sancti, quia de ratione imaginis est (ut videmus in imaginibus creatis) ut producat, quam vim producendi, quia non probat Crellius haberi in Spiritu S. respectu Filii, fit ut respectu Spiritus Sancti, non sit ejus imago Filius, quamvis eundem exprimat.

Rursus, omnes tres Personæ intelligunt se in relatione communi & essentiali, cui nullum respondet verbum, ex sententia communi. Principium etiam quod assumit, Oppositorum debere esse imagines oppositas, etiam in naturalibus non vincit; quia una entitativè notitia, quæ est simplex qualitas, utrumque exprimit, ut cum dico, Pater non est Filius, item Ens non est nihil. Denique videtur, argumentum esse de subiecto non supponente; supponit enim in Divinis posse dari imaginem respectu Spiritus S. quod non probat. Quare autem Filius non indigeat sui imagine, infra specialiter dicitur.

Neque valet quod dicit Crellius. In Deo quicquid est, Deus est; Ergo cum in Deo sint imagines rerum singularium, earumque infinitarum, variorumque voluntatis actuum, hæc omnia Deus erunt; Personis tamen differentibus, vel illis à quibus sunt producta: Non inquam valet; non enim in Filio, sed potius Filius ipse, est imago rerum singularium, neq; in Deo sunt imagines rigorosè loquendo, sed solus Filius, est imago Patris, quia præter Patrem, nihil habet vim producendi suam imaginem; quod tamen ad imaginem requisitum est, ut dictum est oportet. Per hoc tamen non nego, esse in Deo ideam seu similitudinem expressivam rerum singularium; hæc tamen similitudines ut sunt Deus, non sunt distinctæ personæ; quia sunt præintellectio in actu secundo, quæ est ipsissima natura Divina. Filius etiam pro sua parte est similitudo expressiva singularium, nec tamen hæc similitudines multiplicat personas; quia illa similitudo, quæ est persona secunda Trinitatis, est & debet esse adæquatum expressivum nobilibilium omnium, consequenter non relinquit quidquam particularibus similitudinibus, quæ inter se differunt, exprimendum.

Deinde cum notitia una seu similitudo unius objecti, respectu alius similitudinis, seu notitiæ objecti, nihil habeat tale, quod se habeat per modum producentis & producti, quæ sola oppositio arguit de facto multiplicatatem personarum, fit ut illæ similitudines, non multiplicent personas.

INSTAT. Non est causa, cur non Filius v. g. producat alium Filium, & cur Filius ad salvandum hoc, quod sit Deus, non possit etiam esse Pater?

RESPONDETUR. Cur Filius non generet, tres possunt assignari rationes, quæ proportionate ad Spiritum S. applicari debent. Imprius quia quando, sufficienter aliquid ab uno præstatur hoc ipso non jam id præstatur ab alio, nisi adsit altius aliquod principium, pro sua libertate, novo titulo illud ponens, & ita v. g. album in albedine, & animatum unâ animâ rationali, non dealbatur aliâ albedine, nec animatur aliâ animâ rationali. Et universaliter effectus non potest produci, & pendere à duabus causis totalibus ejusdem rationis, nisi Deus illas pro sua libertate assumat, imò Vasq. censet, id ne quidem divinitus fieri posse. Quia ergo ita generat Pater Filium, & Filius ita generatur à Patre, ut quidquid habeat vis generandi, totum per dogma Fidei (cujus contradictorium non ostenditur) intra Patrem contineatur. Item cum totum id quod deberet habere alius filius, in hoc Filio contineatur, nullumque dari possit principium altius, quod alio titulo idem ponat, fit ut jam non possit dari Filius Filii; qui quamvis non sit Pater, erit adhuc Deus; quia per fidem stante aietate in persona ponitur identitas in natura. Deinde, quia cum Verbum non ita sit Verbum, ut sit Patris Verbum, sed etiam sibi ipsi, est Verbum, & ita unio non tantum composito, sed & sibi ipsi est unio: Et universaliter omne formale, est etiam sibi ipsi tale, fit, ut jam Verbum non debeat habere aliud verbum; Et sicut albedo non indiget alia albedine dealbari, sed & subiecto, & sibi est albedo; ita illud Verbum, non indiget alio verbo loqui, sed sibi ipsi est Verbum. Denique quia & esset terminus adæquatus totius generationis Filius, & non esset terminus adæquatus; non esset terminus adæquatus generationis; quia adhuc relinqueret locum alteri filio; esset autem terminus adæquatus, quia ex una parte non implicat dari terminum adæquatum generationis in Divinis, consequenter actu jam dabitur: ex alia parte, quia fides nos docet, totius generationis in Divinis adæquatum terminum, esse, secundam personam.

OBJICIT 3. Idem. Sequeretur Christum esse ab æterno, & non esse, esse quidem, quia summus Deus debet esse æternus; non esse autem, quia generatus est.

RESPONDETUR. Negando generationem non posse esse ab æterno.

INSTAT. Generatio propriè dicta, est mutatio ex non ente in ens. Ergo non poterat esse æterna.

RESPONDETUR. Negatur Antec. nam Arist. putavit generationes fuisse ab æterno, & tamen non poterat supponere, quod ex præcedente

dente non ente fuerint, convincereturque Aristoteles, quod id non potuerit supponere; alias, eo, quod est ab æterno, daretur aliquid prius, nempe illud non ens; & tamen æterno à parte ante nihil datur prius. Rursus pone per impossibile Solem ab æterno, genita fuisset ex illo lux æterna, nunquidne ex non ente lucis præsupposito? Potius ergo generatio, si sumatur filiatiua, erit origo in similitudinem naturæ.

INSTAT 2. Si id, quod generatur ante non existit, poterit etiam generari, quando jam re ipsa existit.

RESPONDETUR. Negando sequelam; generabitur autem ab æterno illam generationem accipiendo, ut sit ab æterno sine ulla præcedentia negationis esse; non erit autem illa generatio æterna conservatio; quia cum sit æterna, & æterno nihil sit prius, & conservatione sit aliquid prius, fit ut illa generatio non sit conservatio; rigorose, seu nisi sumas conservationem pro permanentia, sicut verbum Domini, ita & ejus generatio manet in æternum.

ADDO, in æterna generatione qualis esset, si per impossibile sol ab æterno productus emanasset lucem, verum erit etiam per Crellium in illa suppositione, generari id, de quo falsum est dicere, ante non existit, quomodo enim ab æterno generaretur, si ante non existit, quo autem sensu dici possit generari quod jam existit, superius dictum in simili, nempe non hoc sensu, ut intelligatur generatio per modum viæ, tendentiæ, cum jam habeatur terminus genitus, sed hoc sensu, quod jam re ipsa existat, sed vi generationis ab æterno completæ & permanentis; ut ab æterno sit & generatio, & ab æterno esse geniti.

INSTAT 3. Generatio Filii Dei est generatio propriè dicta; jam autem generatio lucis ex sole non est propriè dicta; quia hæc est quid accidentale; generatio autem est substantialium.

RESPONDETUR. Per multos est lux substantia, pone per suppositionem, quod sit substantia, adhuc manebit totum instantiæ robur. Denique generatio accidentium & substantiæ conveniunt in hoc, quod utraque sit generatio; si ergo accidentium generatio, non debet esse ex non entibus, apparet quod de ratione generationis ut sic, non sit esse ex non entibus. Quando autem ratione partium successivarum in continuata generatione lucis, vult salvare, quod illius etiam generatio sit ex non entibus, id non convincit; quia imprimis lux per meliorem Philosophiam producit instantaneè. Deinde quia ipsa lux ab æterno producta, quo non haberet ante se priorem, essetque lux generata, non fuisset ex non entibus? Urget adhuc argumentum, an huc usque adhuc Filius generetur? Sed ad hoc supra responsum.

OBJICIT 4. Persona nihil aliud est quam substantia prima intelligens; Ergo si persona

Deitatis secunda ex substantia prima generata est, duæ erunt in Deo substantiæ.

RESPONSUM jam est aliquoties supra, negando hanc definitionem substantiæ, ad maximum concretum ex natura & personalitate, hoc est substantia prima intelligens.

OBJICIUNT 5. Eunomiani apud Gregor. Nazianz. Orat. 35. Vel volens Pater Filium genuit, vel nolens? Si nolens, ergo illi facta est violentia; si volens, ergo Filius voluntatis est Filius, novaque erit mater voluntas loco Patris comminiscenda.

RESPONDET. Nazianzenus; *Vel ex nolente Patre genitus es, quis ergo ei violentiam intulit? vel ex volente? Ergo Pater tibi (inquit ille) propter paucas syllabas perit; voluntatis siquidem Filius es.* Idemque retorquet de creatione mundi. Directè autem dici potest, quod Filius ille sit quidem volentis, sed non voluntatis; præcipue cum *Deo generatio fortasse sit ipsa gignendi voluntas*, inquit idem. Alià vià eidem argumento satisfieri potest, quod Pater genuerit Filium volens, hoc est, ex inclinatione naturæ fecundæ; sed non volens, hoc est, ex libera electione.

OBJICIUNT 6. Idem apud eundem. Vel existentem vel non existentem Filium genuit Pater; si existentem frustra generatur; si non existentem, ergo non ab æterno est.

RESPONDET Nazianz. retorquendo argumentum, an ipse Pater sit ab æterno ex entibus, vel non ex entibus? Retorquet item, an tempus sit in tempore, an non? Si in tempore, quo tandem? Si non in tempore; quæ sapientia tempus temporis expers inducere? Retorquet item, casu quo aliquis dicat; Ego nunc mentior, vel enim mentiens verum dicit, vel mentitur verum dicens? Retorquet item, vel aderas tibi dum gigneris, vel non? Si aderas, quisnam & cui? Si non aderas, quomodo à te ipso disjungeris? Quod si dicas, neutrum horum extremorum verificari; dicemus idem de Dilemmate proposito. Quomodo autem directè respondendum, supra dictum.

DIFFICULTAS II

Solutio Objectionum ab Auctoritate.

OBJECIT plura Crellius ex sacra Scriptura, discernemus hos locos per titulos.

Punctum Difficultatis 1.

Solutio Objectionum ex sancto Ioanne.

OBJECIT 1. Crellius. Quia S. Joannes appellat Christum Dei verbum in principio apud Deum fuisse, à Deo missum. Etfrequen-